

Duce J EHOVA Zebaoth, Individuā ac S. S. Triad.  
**DISSERTATIO PHILOSOPHICA GRADUALIS**  
 DE  
**OPTICES NATURA**  
 IN GENERE,

Quam—

*Ex Amplissima Facultate Philosophica Approbatione & unanimi suffragio,  
 in Inclita ac Regia Academia CHRISTINEA, que*

*Aboe Fennorum est*

*Rectore Magnifico*

*Admodum Reverendo & Eminentissimo Viro,*

**DN. AESCHILLO PETRAE,**  
 S. S. Theol. Doct. pereximio, ejusdemq; Prof. primario celeberr.  
 imo; utriusq; Aboënsium simulac Eccl. Numiensis Past. vi,  
 gilantissimo; Patrono & Promotore suo sumē honorando.

*Decano collegij Philosophici spectabili*

*Reverendo plurimum & praecellentissimo Viro,*

**DN. M. NICOLAO LAUR. NYCOPENSI,**  
 Log. & Poët: Prof. ordinario, acutissimo; Parentis instar  
 ternā veneratione suspicioendo.

*S U B P R A E S I D I O E T D I R E C T I O N E*

*Viri Reverenda Dignitate praeclarissimi,*

**DN. M. SIMONIS KEXLERI**  
 Mathematum professoris Publ. Excellentissimi; Mecœna.  
 tis & præceptoris sui reverenter colendi

*Pro Magisterio in Philosophia honoribus consequendis*

*In Auditorio Superiori horis Matutinis Solitis, Publico ac placido Erus  
 ditorum Examini fit.*

**GUTMUNDUS JACOBI LITHOVIUS**  
*S U D E R M A N N U S*

*Ad diem 27 Aprilis, Anni partus Salutiferi 1650.*

---

**A B O E** Imprimebat Petrus Wald/ Acad. Typog: 1650.

# Proœmium.

Quis quantusq; Mathematicarum Disciplinarum,  
non modò in Superioribus singulis facultatibus,  
verum etiam in ceteris Philosophiae partibus, sit usus  
Et utilitas (dummodo quispiam earum saltem timina  
Salutaverit) latere arbitror neminem! Quis n. tam  
densa mentis caligine est obductus, qui ignorat, quam  
inestimabilem Mathematicæ scientiæ utilitatem, mul-  
tis tam V.ris quam N.T. locis, rite recteq; explican-  
dis adferant? Quis quoq; mortaliū non animadverte-  
rat, quanto judici est usui Mathesis, in plurimis contra-  
versijs forensibus dirimendis? Qui Mathematicas  
artes, mirifice Medicina prodesse recusant, Galenum  
& Hippocratem duo clarissima illa Medicorum quæso  
adeant lumina, Et longè aliud experientur! Ast mei  
jam non est instituti, neq; opera pretium esse duco, scien-  
tias illas multis laudum exornare Encomijs, né vel so-  
li lucem aut igni facem addere videar; quippe quas jure  
nullus hactenus vituperavit. Cum igitur talis tan-  
tag Divina Matthesos in quovis Facultatum & Di-  
sciplinarum genere sit necessitas, præstantia etq; digni-  
tas, nemo erit qui candem non meritò amabit, exoscu-  
labitur & ambabus, quod dici solet, manibus, non am-  
pleteatur. Hanc rem ego altiori mentis indagine me-

cum tacitus volvens atq; revolvens, ejusdem dulcedine non præsumptione adductus, simulac vulgato isto (in magnis voluisse latitudinibus quandoq; est) animatus, non abs re me facturum existimavi, si materiam aliquam, huic actui convenientem, ex secundissimo Matheseos agro depromptara, susciperem ventilandam. De liberanti autem mihi de themate, sua quasi sponte, communis illa rerum lux, planeq; divina scientia obtulit sese Optica; materia sane, ut liberali hominis ingenio dignissima, ita multis quoq; difficultatum spinis refertissima: Cujo carens cognitione Astronomus calum frustra contemplatur, cuius quoq; destitutus ope Physicus, multis de rebus, haud sine veritatu jactura differit: Verbo, hanc contemnens literarum cultor intricatas in Philosophia quæstiones benè multas, vulpecula instar, ad interiora vitri non pertingentis, exteriora lambere cogitur. Nullus igitur dubito quin audax hoc inceptum, à bonis benè explicetur; Ut vero bonum initium, melius medium finemq; consequatur optimum, facit summus, qui potest omnia Deus.

## Thef. I.

**I**N accurato rei tractatu unumquemq; certo ordine pro-gredi oportere, bona svadet Methodus, nisi palantis instar, in ignota (quod dici solet) errabundus obserret sylva; Præsentis proindè negotij consideratio; de Opticæ natura in genere duobus potissimum absolvitur, 1. Ονοματολογia seu Nominali explicatione. 2. Πρεγματολογia sive Reali enodatione.

2. In Ονοματολογia tria notanda veniunt, 1. Επηρευολογia seu Nominis notatio. 2. Ομωνυμia sive Äquivocatio. 3. Συνωνυμia seu vocum æquipollen-tium collectio.

3. In Etymologia quoq; duo occurruunt attendenda, 1. Vocabulo origo, 2. Impositionis Ratio. 4. Ori-

4. Originem vocis quod concernit est ea Græca. dicitur enim Optica Ὀπτικὴ i. e. videre vel peripicere; Hinc descendit nomen Ὀπτικὴ h. e. Perspectiva seu Ars visoria si latine exprimatur...

5. Impositionis rationem inter alias judico esse hanc quod insignita sit hæc Disciplina nomine Ὀπτικῆς ei propter, quod lumine suo verū, quod reipſā inest in visibili, à falso quod captiolā specie appetet, dijudicare atq; distingvere possit: reddit enim causas cur visiones subiecte fallant. V. c. Quare ea quæ per aquam conspicuntur, maiora ad oculos appareant, quam aliás in se sunt.

6. Quod Homonymiam sive variam ambiguae hujus vocis acceptiōnem attinet, missis significatis valdè improprijs, est ea potissimum duplex; vel *Præf.*, quando vox optices accipitur pro eo quod quædam generalia, totiq; huic scientiæ communia & ad priorem ejus partem pertinentia, pertractat. Vel *Laxior*, quâ Opticæ nomen significat utramq; illius partem, quæ modum bene videndi monstrat, ac triplicem radium simplicem, reflexum & refractum, præter generalia illa, continet; quæ acceptio est hujus loci propria.

7. Synonymiam quod spectat, dicitur Optica i. Ars visoria.  
2. Perspectiva (quanquam voce barbarâ minusq; latinâ, ad ipsius tamen Doctrinæ naturam indigitandam haud parum accommoda) nuncupatur: Hinc etiam adæquatius finis & munus proprium est Opticæ, docere modū visibilia accuratè riteq; perspicendi & cognoscendi, h. e. nō modò studiose cavere ne visus in captiones inducatur, verum etiā in varias inquirere causas, cur res visibles aliā quam alioquin revera habent, appareant specie. 3, Deniq; Arabibus inscribitur *Doctrina de Affectibus*, quæ tn.

doctrina non nihil latius sese extendit, prout Interpretes  
istiusq; lingvæ consulti reddunt.

8. Illud hic obiter annotare placuit (Salvo ramen hac in parte aliq;  
rum gravissimorum virorum semper iudicio) Opticam uti & artes liberales  
et aliquas, quibusdam de causis, Græca nomina prius accepta adhuc hodiè retine-  
re, quamvis latina dentur; Quarum 1. Quod postquam literatum studia ad  
Græcos ab Ægyptiis manarint, magis ibi locorum sapientia exulta & quasi in  
succum & langvinem versa. 2. Ob singularem græcarum vocum Emphasi-  
sin, quod Disciplinarum natura est; commode latinis nequeat exprimi vocis  
bus. 3. Quod græcas ille nomenclationes, per probum usum, qui Magister  
& censor omnium artium esse conseruit, in constantem iam lingvæ ferme Ro-  
manæ consuetudinem abiurint. Haud immerito itaq; eorum relictur opinio,  
asserentium artes, græcas ideo servare appellationes, quod primi in Græcia  
sint natæ atq; inventæ. Tantum de Ὀφθαλμολογίᾳ ipsius  
Optices, quæ ratione nominis breviter exprimebat οφθα-  
λμολογία sequitur.

9. Circa οφθαλμολογίαν, quæ Opticæ essentiam  
pleniū explicat, consideranda sunt sequentia, Definitio  
nimirum Realis, Subiectum & divisio.

10. Definitur Optica diversimodè à Mathematicis,  
posthabitis igitur descriptionibus insigni aliquo vitio la-  
borantibus, haec commodiores remanent: *Optica est sciens*  
*pi de visibilium veritate & fallacia judicandi.* Vel; *Optica*  
*est Scientia radiaturæ visiva.* i. e. ejus quam oculis percipi-  
mus apparentiæ rerum omnium. Vel; *Optica est Ars ra-*  
*dianturæ visiva, monstrans modum bene videndi.* Hisce O-  
ptices natura declaratur, aliam subindè definitionem nos-  
vam, cum prægnantes ac graves non urgeant causæ, ad-  
ornare nolui, ne præpostero novandi studio, vanâq; præ-  
sumptione moveri, vel à veterum Philosophorum placis  
ut temere recedere videar.

11. Verum Enimverò, quum institutum majoris de-  
clarationis ergo, unius ex allatis in præcedenti thesi, tri-  
bus descriptionibus, plenioram adhuc expositionem po-  
stulet, earum ultimam hanc vice intimius rimari libuit, in-  
qui.

quirendo videlicet in duplice<sup>m</sup> ejus conceptum, *cum*  
commune<sup>m</sup> qui Genus, *tum* proprium qui differentiam con-  
tinet.

12. Quantum ad priorem attinet, is *Artis* voce in De-  
finitione innuitur: tota namq; Disciplina hæcce, ubi pe-  
nitius introspicitur, vix quidplam aliud gremio suomet  
fovet, quam præcepta homogenea, catholica, usu & Ex-  
ercitatione cognita, methodice disposita adq; finem in  
vita utilem tendentia: ideoq; eam per Artem tanquam  
legitimum genus definiendam esse non dubito.

13. Priori ita Definitionis membro exposito, poste-  
rius, quod formalem ejus rationem complectitur, evolv-  
endum succedit; Quod desumitur, tam à subjecto proprio  
quam adiquato *Fine*.

14. Hujus vicem posteriora definitionis verba,  
*monstrare modum benè videndi*, subeunt: nam in eo tota  
hæc occupatur scientia, ut visibilia seu res cunctas ad vi-  
dendum propositas tales, quales in se & sua natura sunt  
exhibeat, hinc errores vitius detegit, causasq; illos mor-  
talium animis eximendi abunde subministrat.

15. Particula *Bene* nullam in Definitione parit *ravvo-  
λογιαν*, quamvis eam Artis voce comprehensam, adeo-  
q; supervacaneam esse nonnulli censeant: Nam quemadmodum  
hæc scientia propriam & singularem obtinet  
*ιτερογενιαν*, ita particula illa *benè* aliquid speciale h. l. de-  
notat.

16. Vocabulum *videndi* cum quandam involvat ambi-  
biguitatem Sicco neq; pede prætereundum; ac propter  
ea sequestratis tropicis ejus & improprijs acceptiōib;  
animal propriè videre dicitur: quippe instructū facultate  
& organo videndi, quorum ope & auxilio imago visibi-  
lis apprehenditur.

17. Præterea, Benè videre, duobus dicitur modis; 1. Physicè, quomodo illi benè videre censentur, qui naturā sano & acuto pollut visu, à perfecta commodaq; oculorum structura dependente. Talem Callicratem & Myrmecidem præter alios oculorum habuisse aciem, memoria proditum apud Historicos reperitur. 2. Opticè benè vident, iij, qui rectè visibile dijudicare & ejus veritatem à fallacia discernere noverunt. Poteat igitur fieri, ut aliquis benè videat Physicè i.e. acutè, Sed non Opticè i. e. judiciole.

18. Subjectum Opticæ ex parte in definitione indigatum, est duplex; vel Internum & proprium vel Externum & commune, hoc aliàs Subjectum usus, sicut illud doctrinæ & tractationis, audit.

19. Internum & proprium Optices Objectum, celeberrimi Optici faciunt ipsam Radiaturam visivam: quia omnis videndi ratio in radiis radiorumq; discretione versatur; Et velut Geometria lineam linearumq; configurationem pro vero suo objecto habet, ita Optica Radiaturam radiumq; agnoscit. Ad ulteriore autem objecti hujus indolem assèquendam, Radiaturæ Definitio sicut & illius à Radio visivo diversitas multum conducunt, eas propteræ hic subjungere, non pigebit.

20. Definitio tradi potest talis: Radiatura est radiorum collectio, atq; adeò è corpore lucido & colorato ad oculum videntis emissio. Discrimen in eo est situm, quod Radiatura multarum linearum visibilium & ad oculum videntis ductarum sive procurrentium congregationem; Radius verò unius saltem linea recta, colorata & lucida ex objecto quod videtur, ad oculū missionē, significet. Hic dici solet alio nomine linea radialis, linea incidentia, linea Extensionis formæ, linea multiplicationis formæ & linea lumenosa; Quarum linearum Definitiones passim in scriptis Optico-

Opticorum videri & legi possunt, cum illas hic referre in juncta prohibeat brevitas.

21. *Interno* sic objecto strictim perspecto, consequens est, ut ad *Externum* fiat accessus: Hoc v. suppeditat nobis corp<sup>s</sup> visibile, seu res ad bene videndum proposita, quam levi tantum brachio hic exposuisse sufficiat, quum accurata ejusdem tractatio ad Historiam spectet Naturalem.

22. *Visibile* id esse dicitur, quod radiat per medium pellucidum, e quovis sui puncto, per quodlibet medij punctum & in quodlibet oppositi punctum, inter qua recta duci potest. Hujus descriptionem melius intelligamus si explicitur sequentia,  
1. Quid sit in opticis Radiare.  
2. Quid medium pellucidum, & deniq;  
3. Quedam porismata, quæ hinc quasi fluere videntur.

23. Radiare nihil aliud est quam vel, 1. Lumen à se diffundere, quomodo sol & res lucidae dicuntur radiare. Ut stella, cometa, ignis, candela & similes. Vel 2. Visibilis speciem per medium aliorum diffundere; Et hoc modo, omne visibile radiare dicitur.. Prior Radiatura à lucido diffusa, nominatur Luminosa; Posterior visiva. Sic quando sol undiq; sui imaginis radios, ad nostros defert ocellos, dicitur radiare.

24. Id tamen hoc loco tenendum, quod Opticus doctrinæ gratia requirat quemlibet radium sui puncti secum ferre speciem, & ex singulorum punctorum collectis speciesbus totam imaginem per radiales lines perfici atq; haberi, tametsi species alias visibilium continua coniunctaq; emittantur formæ. Et quod radii visivi sint instar linearum Physticarum, aliqua crassitudine præditarum, in quarum medietate animo Geometricæ concipiende erunt lumen, omni prorsus latitudine destrutæ, quæq; linea fiduciales sive Sect. Sichtlinier appellandæ veniunt.

25. Medium pelludium, locus alias radiaturæ Opticis dictum, est spaciū illud perspicuum inter visibile & visum, per quod radiatura ad videntis oculum seu oppositum defertur. E. G. Si imago pecunia in fundo vasculi, quæ repletæ jacantis, deferatur ad meum visum, tum aqua & intermedius aer per quæ radij

medii transiunt, Physicis quidem media visionis, At Opticis loca radiatur ex media transparentia, translucida &c. vocantur.

26. Hinc intelligere quid sit opacum, nemini judico esse obscurum, opponitur enim hoc Medio; Contrariorum autem contrarias esse oportere definitiones, trita Logisticorum exigit maxima, quare ejus considerationem jam studio prætermisimus.

27. Porismata inter multa alia (quæ nunc prægnantes ob rationes prætermissa sunt) visibilis naturam ulterius explicantia, hæc sunt: 1. Visibile est densius medio: nisi enim perspicuitatis discreparent gradibus, illud per hoc radiare nequiret. V. c. visibile aqueum per aquam differenti sensiliq; radiaione non radiare, Experiencia est manifestum. In consimilibus idem est iudicium. 2. Visibile radiat radio finito. Attingunt etenim singuli radij visibilis quævis sui puncta oppositi, quod si hoc, utiq; finiti, inter rem namq; visam & oppositum sive oculum, proportionata requiritur distantia.

28. Enodata nunc definitione, divisiones potiores quoque Visibilis quam strictissime evolvendæ erunt.

29. Visibile igitur aliud est per se, quod immediatè radiat, solo visu percipitur & causam radiationis in se habet; ut lux & color. Aliud per accidens, de quo infra.

30. Visibile per se vicissim bipartitò dividitur in Primarium & secundarium. Illud est quod primò præcipueq; radiat, & in se spectatum est qualitas inhærens corpori visibili ac luminoso. V. g. lux solis in corpore solari. Quanquam Optici Physicam istam exp̄ibet & av, inter lucem & lumen; item inter corpus luminosum & lucidum adeò strictè non observant, sed eam una cum alijs t. m de luce quam colore subtilitatibus, philosophiæ naturali intimius scrutandam atq; rimandam relinquent.

31. Lux est vel prima, quæ causa & origo lucis secundæ est & existit. Si Lumen illud quod illuminat primam partem cuiusdam domus in qua per foramen incidere poterat, lux prima dicitur. Vel secunda, quæ ē diffusionē primæ ortum habet, quæq; ad domus angulos deflectitur..

32. Secundarium visibile per se est color, qui sui speciem in luce diffundit, lucis enim ope per se radiat; quod vero sui ipsius non semper videndi copiam faciat, ejus neutiquam absentia, verum lucis in corporibus privatio & negatio, in causa est.

33. Divisio colorum etiam Physicis usitata est, quod alij sint Extremi, ut albedo & nigredo; Cæteri intermedii; quarum descriptiones cum suis distinctionibus recensere instituti ratio vetat, ne Physitorum propria, suis de sedibus divellantur..

34. Huc usq; de Visibili per se; Peraccidens dicitur visibile, quod mediante luce & colore radiat, hoc pluribus sensibus quam visu percipi potest. E. g. Figura in luce visu, in tenebris, vel etiam oculis clausis, tactu percipitur. Sic de cæteris eius generis.

35. Quo vero ordine visibilia per accidens sunt recessenda, Authores iterum variant. Quidam juxta series quotundam prædicamentorum ea enumerant; Alij deniò comprehendunt reliqua omnia sub Magnitudine Loco & Luce; adeoq; volunt, Illi subsint; Figura, Corporitas, Pulchritudo, Deformitas, Lenitas, Asperitas, Consimilitudo & Diversitas. Isti, distantia seu Remotio, Situs, Continuitas, Separatio seu Divisio, Numerus, Motus, Quiescens. Huic deniq; tanquam visibilium principi, Diaphanitas, Densitas, Umbra, Obscuritas; Quorumcunq; autem ductum quis sequi maluerit, modò rem teneat, parum aut nihil referre autumo.

36. Ad

36. Adhuc de subjecto, quod medium locum in hac materia sibi vendicabat, actum; Sequitur tandem, ut verbo uno vel altero Divisionem Opticas indicem, sicq; colophonem præfestino huic discursui imponam.

37. Circa partitionem hujus Artis, neq; eadem Opticas est mens, Sed hic rursum in diversa sententiarum abeunt divertia, Alij hinc, alij aliundè distributionis suæ petunt fundamentū, quo factū, ut arbitria in eadē quoq; docenda observetur Methodus, ideoq; suo quisquæ hæc in re sensu abundet; Interim à veritatis tramite recedere non videntur illi, qui Opticam sicut & cæteras artes liberales ferimè omnes more Peripateticorum, methodicā dispositione in Generalem & Specialem dispescunt partem, tractando deinceps in Ea Generalia totiusq; artis communia, ut potè Radiaturā in genere, Visibile, Visionem in comuni &c. In Hac specialia, visionem scil. Simpli- eem, Catoptricam, Mesopticam & alia hoc spectantia.

Tentum de hac materia impræsentiarum adferre licuit.

Mōrō τῷ ΘΕῷ δόξα.

---

Ornatissimo atq; Prastantissimo VIR O-Juvenis,

DN. GUT MUNDO J. LITHOVIO

Sudermannia-Sueco, ut S.R.M.tis Stipendiario solerissimo, ita Philosofia Candidato meritissimo, pro obtainendâ Laureâ Magisterii, nervole atq; eruditæ Disputanti.

Τέκτονι ὡς τέκτων κοτεῖς καὶ αἰοιδὸς χοιδῶ.

Σημερον ἦν αἰοιδὸς εὐωνύμος μετὰ τοῦ γίνεσθαι. (πάντα, οὐδὲ λέγεται τοτε μοτνδε καλῶς τε γράφων καλῶς παντούρθως, αὐτογένεσις μετὰ τῆς πεθῆς οὐχισώζεις.

Οπλέχος ὁν, κόσμον τῷ οπτάνειν, φέρεται τῇ τὴν φύσιν ἡλίῳ πολιφεγγεῖ τὴν παραγκαλήν.

Ἐμμυδεῖς τὸν λευκὸν σὺν διδάσκαλοι. ἀμφιθεάτρῳ τῆς ἡμῶν στόλεως διάσασαι. ὁ θεός τε τωνησων.

L. M.q; applaudebat.

MARTINUS STODIUS Lingg. P. P.